

**Dissertatio medica inauguralis de obstructione vasorum sanguiferorum ... /
publice defendet Jo. Siegmund Hecht.**

Contributors

Hecht, Johann Siegmund.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Christiani Henckelii, [1713]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mh6ju9xw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

OBSTRUCTIONE VASORUM SANGVI- FERORUM,

QVAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

IN ILLUSTRIS FRIDERICIANA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO &c. &c.

GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,

CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RER. NATU-
RAL. PROFESSORIS PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEG.

FAC. MED. p. t. DECANI,

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS, ET PROMOTORIS SUI

Omni honoris & amoris cultu ad cineres usque prosequendi,

PRO LICENTIA

JURA, IMMUNITATES atque PRIVILEGIA

in arte salutari, legitime capeffendi,

d. Aug. A. MDCCXIII. horis locoque consuetis

publice defendet

JO. SIEGMUND HECHT,

Seehuf. Palæo-Marchicus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO MEDICA IN AURICULARIS

ORBITRUCIONE

VASORUM SANGV.

FERRORUM

ON. FRIDRICH WILHELM

ON. GEORGI ERNESTI STAHL

PRO LICENTIA

JURIS PRAESENTI

JOSEPH ANDREAS

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Aed. Typogr.



PROOEMIUM.

MECHANICÆ nomen, in omnium propemodum Physicorum ore, ad eam hanc ætate personat, ut nihil frequentius, quàm illud ipsum passim audiatur, quando vel brevissimus discursus agitur, circa causas rerum naturalium reddendas. Interim habet hæc res, quod quidem vix credi posset, majores difficultates, tam in explicatione, quàm applicatione, quàm quidem de illâ meritò expectari deberet: nempe non aliunde, nisi à defectu debitæ discretionis, qui necessariò confundit potius conceptum, quàm illustrat. *Macbinam, & Mechanicum*, notante *Lipsiò* in *Poliorteticis*, interpretantur jam antiquiores, *ingeniosum*; seu ab *ingenio*, nempe *rectâ ratione* dependentem, inventam, & in effectum deducendam, dispositionem atque potestatem, ad præstandum motum. Unde ortum duxit nomen, semibarbarâ Latinitate, *Ingeniarii*, & hodieque usitatissimum Gallicæ genti, *Ingenieur*. Fundatur nempe *in Mechanicum*, super *intelligibili proportionem materiæ*, subjecti cujuslibet, ad suscipiendum atque subeundum, tam in genere, quàm in specie peculiari, *Motum*; & vicissim, simili

congruâ proportionē *motûs*, ad quamlibet *materiam*: & cognitione, ubi talibus opus est, *mediorum*, secundum has easdem proprietates, *propagandi motûs* velut interpretum: sive jam *media* illa jam habeant insignem aliquam *impressionem motûs*, ab *universali* illô circulô, qui in *macrocosmô* conservatur, perpetuò procedentem; unde *physico-mechanici* effectus obtinentur: sive *motus* illi, à merâ vi externâ inducantur, atque dirigantur, unde simpliciter *artificiales* mechanismi resultant. Prior constitutio, habet maximè locum in subjectis *exilissimis, corpuscularibus*, seu in suâ specie *atomicis*: posterior, in *aggregativis* organicis diffusioribus structuris: inter quales in primis *statica*, & in fluidis quâ talibus, *hydraulica*, eminet. Harum rerum confusio, uti nihil aliud parere potest, quàm inextricabiles confusiones; ita aliquid amplius, quàm eousque certè necessariis, votis, opus est, ad ejusmodi difficultates emendandas. Duximus autem necessarium, rem hanc, etiam aliàs summo usui inservituram, hóc locô allegare, dum negotium enucleare in animum induximus, quod non aliunde, quàm ex harum considerationum neglectu, ad hunc diem minimè pro dignitate evolutum, nihil nisi fluxas opiniones produxit, practicis necessitatibus non solum inutilis, sed omninò noxias & adversas. Unde tandem permoti sumus, cum INAUGURALI SPECIMINI destinandum esset thema, pro hóc scopô eligere Disquisitionem, de decantatâ illâ inter medicarum scholarum scabellâ, OBSTRUCTIONE VASORUM, in primis SANGUIFERORUM. Quod dum perficere allaborabimus, ante omnia Divinæ gratiæ præsidium, ut omnia feliciter succedant atque cedant, humillimè exoramus.

O *Bstruclio vasorum*, inprimis *sanguiferorum*, sicut passim hodiè in ore est, in variarum *stagnationum* sanguinearum ætiologiis describendis; ita antequam ad penitiorum rei ipsius considerationem veniamus, de verò *nominis* significato illud dicendum habemus, quod *obstruclio*, verò atque propriò sensu, nihil aliud designet, quàm *via* alicujus seu *meatus*, per quem qualicumque tandem *mobili*, inprimis autem *fluidæ* rei, liber *progressus*, *transitus*, aut planè *exitus* patere debebat, talem *obstipationem* & *occlusionem*, ut materia illa movenda, *progressu* illò suò destituta, ibi *subsistere* necesse habeat, nisi nempe planè rursus *eximi* possit, ut meatum illum *vacuum* post se relinquat. Superfluum esset, de *embolis*, *globis*, aut *fluidis* materiis, exempla allegare, cum veritas rei, clarà suà luce radiet.

Illud autem, ad præoccupandam omnem *Homonymiam* prætermitti non debet, quod propriò quidem & exquisitò sensu, *obstruclionis* vox, illud denotet, quod diximus; nempe *plenariam* & *totalem* hujusmodi *occlusionem*. Interim *latiore* acceptione, etiam aliquando extendatur, ad ejusmodi *impedimenta*, quibus non penitè & in solidum *occlusio* totius meatus obtingat; sed solum insignis meatuum talium *arctatio*: qualis v. g. evenire potest atque solet, in ductibus & canalibus *aquariis*, ut à *limo* aut *mucilaginibus* aquarum, sensim sensimque parietibus canalium adhærescente, *liber* & *sufficiens* com meatus aquæ ita *præpediatur*, ut, licet non penitè progressus ipse universus auferatur, tamen & *quantitas* ejus debita nequaquam procedere valeat, & in ipsam *energiam*, totius *impulsus* autorem & rectorum, necessariò major *difficultas* inde redundet. Qualis tamen locutio, cum utique *ἀνευρος* sit, & minus exquisita,

fita, meretur proinde potius emendationem, quam imitationem: dum nihil nisi umbratilibus effugiis atque cavillationibus occasionem subministrat.

§. III.

Hoc verò non ampliùs ad *nominum* significatus, sed *realem* jam conceptum pertinet, *quot modis* obstructio meatui cuicumque evenire intelligi possit? Quod *duabus* methodis obtingit. Dum nempe, vel in ipsâ meatûs *capacitate*, aliquid stipatur, quod si non *longitudinem* totam, tamen *amplitudinem* ejus, *densiore* consistentiâ suâ, & *firmâ* inhæsiõne, ita expleat, & ibi adhæreat aut subsistat, ut aliis rebus etiam ulteriorem progressum deneget atque adimat. Vel secundò, quando *exteriùs, per ambitum*, mobilis atque *mollis* ductus seu *canalis*, ita *constringitur* aut *comprimitur*, ut interceptâ sic totâ illius cavitatis amplitudine, nihil per illam penetrare valeat. Nam, licet etiam *tertius* modus allegari posset, quando nempe ipsi *foramini exitûs* aliquid ita examuffim apponitur, ut nihil inter hanc commissuram procedere atque illam penetrare possit: quia tamen hæc res, in nostris negotiis, ubi de *simplici obstructione* potissimum sermo haberi solet, non adeò frequenter in considerationem adduci solet: potest proinde sufficere, ejus paucis solùm verbis mentionem injecisse.

§. IV.

Sicut autem hæc, de *obstructione* velut *in genere*, dixisse, sufficere potest; ita cum de *vasorum*, & imprimis *sanguiferorum, obstructionibus*, sermo nobis esse debeat, præmittendum est omninò aliquid, etiam ad *vasorum similitum habitum ad obstructiones*, rectè intelligendum. Sunt equidem omnis generis vasa, à *firmissimis, arteriis*, ad *tenuerrima, lymphatica*, ejus utique *mollitiei*, ut *flecti* commodè, *torqueri*, atque *comprimi* facilè possint; adeoque *externis* illis, *per ambitum*, stricturis atque compressionibus, liberrimè omninò pateant. Est præterea notissima illorum

conditio atque constitutio, ut à *majoribus* canalibus, in *minores* quam plurimos ramos, & ab his tandem in *divaricationes* magis magisque *minimas*, & quidem penitus *innumerabiles*, distribuantur atque dividantur; imò hæ ipsæ ultimæ, & longè *exilissimæ*, propagines *solidarum* quarumlibet præsertim *muscularium*, & *parenchymaticarum* dictarum, partium texturæ, penitissimè *intertextæ* sentiantur? sicut *ampliores* adhuc illi canales, ad minimum ita quoque *musculis passim suppositi* atque *intercurstantes* incedunt; & *venosi* atque *arteriosi* rami, non saltem *juxta* se invicem positi, sed etiam hinc inde per *divaricationes*, se mutuò *transcendere*, conspiciuntur, (*geschränkter über einander liegende*) ut inde *progressui* humorum per illos, non magis *possint*, quam *passim soleant*, impressiones aliquæ obtingere atque evenire.

§. V.

Præterea, maximæ considerationis omninò est, processus humorum in vasis, respectu *termini*; dum in *venosis*, (exceptâ *venæ portæ* medietate,) motus sanguinis perpetuò procedit à *minimis* tubulis versùs *majores*, & tandem *maximos*: quod idem etiam in *lymphaticorum* vasorum systemate sic obtinet, exceptâ portione, à sic dictâ *cisternâ*, sursum, per *thoracem*, ad venam subclaviam ascendente. In *arteriis* autem universis, contra, movetur sanguis à *majoribus* ramis, ad, & per *minores*, imò *minimos*. Unde etiam porrò, in omnium horum vasorum systemate, præsertim circâ *divaricationes* eorum, reperiuntur *valvule* illæ, quæ hunc motum ita veluti cogunt atque circumscribunt, ut in contrarium adigi non permittant.

§. VI.

Ulteriùs, cum de vasis imprimis *sanguiferis*, considerationem nostram instituerè receperimus; omninò perpendenda venit *crasis sanguinis*. Quæ cum ejus sit conditionis, ut in *spissitudinem, densam, & plane consistentem*, congelescere possit; hæc verò utique *progressui*, tam simpliciter
per

per *arctissimos* tubulos, quàm à *capacioribus* ad *arctiores*, plurimum præjudicii adferat: applicanda proinde venit etiam hæc consideratio, idoneis suis locis & occasionibus. Ad quod etiam de *lymphâ*, utpote pariter *gelatinosæ* quasi consistentiæ humore, valet: quin etiam de *mucidâ* parte ipsius excrementitii *seri*.

§. VII.

Porro, de *sanguine*, etiam in communi illâ *massâ*, sub quâ per venas & arterias movetur, illud, uti satis notum est, ita etiam pro usibus suis necessariis, memori planè mente teneri debet, quod *sanguis*, quando à *vividô* suo *locali* motu seu progressu intercluditur, parvô temporis spatiô, primò in ante notatam *coagulationem*, mox verò etiam ulterius, in *putredinosam fermentationem agilissimam*, præceps ruat; nisi quidem *operosâ*, & tamen *incipiti*, *Inflammatorii* appulsûs & impulsûs, ope, in *pus* tantum convertatur; sed & hoc, cum partium, intra quas deprehensus substiterat, *conjunctâ colliquatione & destructione*. Et hoc adeò certò, & inevitabili penitus eventu, ut si vel maximè reliquus sanguis, propterea in suo liberò progressu valde parum inde alterari atque impediri possit; tamen illa *portio*, quæ revera ita *subsistere* coacta fuit, nisi tempestivè iterum in motum deduci valeat, in *corruptionum* harum alterutram (aut, sub planè peculiaribus conditionibus, in *scirrhum*) absolutâ necessitate transmigret.

§. VIII.

Ubi adhuc omninò aliquid dicendum venit, de necessariâ illâ *hydraulicâ* æstimatione, progressûs humorum per *numerosos minores* canales, ad *communem majorem canallem* pertinentes. Ita enim, quando humor aliquis à *majore* canale versûs & per *minores* plures, quantumcunque tandem numerò, movetur; & de his minoribus canalibus, casu aut consiliò, unus aut alter, imo plures, *obstruuntur*, ut exitus liquoris quantumcunque impulsus, cohibeatur intra illos: ibi
tantum

tantum abest, ut hujusmodi *obstructio*, reliquis adhuc aper-
tis *detrimentum* aliquod adferat, ut potius etiam illa por-
tio aquæ, quæ aliàs secundum proportionem *communem*
cum reliquis sociis, per illos nunc obturatos procesfisset,
nunc ita in reliquos proportionatè *distribuatur*, ut per hos
vix non exquisitè tantundem liquoris profiliat, quam per
omnes simul, libertati suæ relictos, procedere posset &
foleret. Quod quidem inter duos vel tres solùm ejusmo-
di canales, vel puerorum lufibus notum est. Quod interim
hîc præmonendum fuisse, suò locò fortè ostendemus.

§. IX.

Amplius, & per ulteriorem progressum, si *arteriola*
minutissima obstruerentur, nihil aliud expectandum foret,
quàm ut illæ minutissimæ *venulæ*, quæ propius, imò ut
aliqui speculantur, immediatè & continuò ductu, suum
fanguinem ab *arteriis* accipiunt, dum hic per *obstructio-*
nem arteriolarum cessaret, *inanirentur* atque vacuæ resti-
tarent: sive hoc, secundum aliquos, à propriò *inorganicò*
motu sanguinis, quasi *sponte* suâ retrò ad cor tendentis; si-
ve secundum alios, à propriò motu pressoriò *tunicarum*
venosarum: sive ab ubique adjacentium *arteriarum tru-*
satili assultu: sive à circumjacentium partium *fibrosarum*
perpetuò *tensoriò tenore* seu *motu tonicò*, (quamvis hæc
duo ultima sociam utique operam conjungant,) prove-
niret.

§. X.

Hòc ipsò verò, nihil sanguinis intrà *poros* & *meatus*
aliarum *spongiosarum* partium restitare posset; quandoqui-
dem hâc ratione, nempe obstructis *arteriolis*, nihil ad
ipsas pertingere posset, sed maneret sanguis, nusquam ali-
bi, quam simpliciter in illis *arteriarum* ramulis impactus,
utpote è quibus, propter indefinentem continuationem
momentanei novi *appulsûs*, *retrocedere* non valeret.

§. XI.

Si verò sanguis ipse, ita *crassus*, sive fingeretur, sive, certis casibus, esset aut fieret, ut equidem vi *pulsus*, per *arteriolas* adhuc extruderetur; interim ita in poros partium distributus, in exilissima oscula *venularum* penetrare non valeret: non dicenda hæc esset *obstructio* venularum, aut his aliquod vitium assignandum veniret: sed simpliciter & directè *sanguini* culpa tribuenda, & ad hunc, tam tota *Theoria*, quàm praxis seu *Therapia*, dirigenda.

§. XII.

His ita præmissis, audiendum nunc venit, quomodo veritas *obstructionis*, applicari & quadrare possit ad illa exempla, in quibus, per vulgò receptas opiniones, supponitur atque incusatur. Familiarissima est loquendi formula, quâ imprimis exilissimis vasis *Mesaraicis* hæc labes assignatur: Das kleine Geäder im Unterleibe, die Gefäß-Ädern, seyen verstopfft: & inde deducuntur, quanquam valde heteroclitis lineis atque angulis, præcipua totius mali *Hypochondriaci* pathemata. Secundò, profiliunt recentiores, utpote toti, sed & planè singulari *Mathesi*, *Mechanici*, & ab *obstructionibus* vasorum derivant *Inflammationes*. Aliqui etiam adhuc tenuiùs hanc *mechanicam* exacuentes, eidem *obstructioni* vasorum injungunt etiam *Hæmorrhagias*, & quidem *in genere*, omnes, quæcunque non à simplici verà *dièresi*, purè *passivò* lapsu, *continentibus* partibus dissolutis, erumpunt potiùs, quam effluunt. Videbimus in singulis harum seorsim, quomodo vera illa *amuffis mechanica*, superiùs à nobis ad exquisitissimas *lineas* stabilita, his speculationibus quadret, & fidem illis foenerari possit.

§. XIII.

Exilissima vasa *Mesaraica* quod concernit, notum est ex Anatomia, etiam non armatis oculis affatim luculentâ, quod talia nusquam reperiantur, effatu dignâ copiâ, in

totò *mesenterio*, (ut propterea, tanquam à potiori, *mesarai-
ca* denominari mererentur,) sed unice in ipsis jam dum *in-
testinis*; & quidem tunicâ horum vulgò dictâ *nerveâ*; &
in *glandulis* mesenterio interspersis: & denique, quamvis
in homine dispar structura notissima sit ab aliis animalibus,
in *liene*. Jam, si in affectibus *Hypochondriacis* dictis, labeş
talis revera inhæreret vasis hisce *exilissimis*; quorum nem-
pe *stirpes* quasi tantùm, per *mesenterium* porriguntur:
manifestissimum est, quod pathemata *hypochondriaca*, non
solùm *pleraque* numerò, sed etiam *gravissima* specie,
præ omnibus reliquis partibus incumbere deberent ipsis
Intestinis. Et quidem tantò magis, *tenuibus*; dum horum
non solùm *longissimus* est tractus, præ *crassis*: sed etiam,
per proportionem *teneritudinis*, graviores certè deberent
esse effectus, in his, præ alteris. Jam verò non solùm ne-
mo aliàs, à malo *hypochondriaco*, multa, aut insignia, pa-
themata, adsignat *tenuibus intestinis*, sed solam fortè *sta-
tulentiam*: verùm nota est aliquorum sententia, qui vel to-
tam, vel certè præcipuam, labem, & omnem propemodum
scenam *hypochondriacorum* symptomatum, *colo* intestino
vindicare, cordi habent. Quomodo autem adumbrabunt,
quamobrem *obstructio* talis minutissimorum vasculorum,
vel *possit*, vel *debeat*, tantùm in illis talibus vasculis, quæ
ad *colon* perveniunt, (& adhuc per exiguam solùm partem
totius longitudinis coli,) oriri aut evenire, præ tantò tra-
ctu reliquorum tenuium intestinorum?

§. XIV.

Secundò, sicuti talis *obstructio* vera vasculorum san-
guineorum, certò parere deberet & invehere *stasin* sangui-
nis; *stasis*, *coagulationem*: *coagulatio*, *corruptionem*, vel
immediatè *sphacelosam*, vel mediatè, *inflammatoriam*: quis
pathemata illa *hypochondriaca*, tam *prompta*, tam *frequentia*,
tam *contumacia* familiariter, reducet vel ad *Inflammati-
onem*, vel ad *suppurationem*: aut liberabit, non tam à me-

tu, quàm certiore eventu *frequentissimò*, *sphaceli*, si vera illorum causa consisteret in tali vasorum *obstructione*, & inevitabili illò *progressu* & climace, *necessariò succedentium* alterationum. Quæ cum nequaquam eveniant aut inveniantur, justissima certè est, quam in scholis vocant, *Conclusio ab absurdo*.

§. XV.

Porrò, *Inflammationem* quod attinet, certè pudori esse deberet, quod sub tam familiari, quamvis rarissimè concinnâ, provocatione ad *mechanicam*, tam parum ad hunc usque diem, vel possit intelligi, vel velit, evidentissima de reliquò, illa conspiratio, *physicæ necessitatis*, & *mechanicæ habilitatis*, & *organici moderaminis* atque regiminis, totius negotii *Inflammationis*. Quam rem licet antè annos plus sedecim, imò octodecim, (Dissert. de *Inflammationis verâ pathol.*, & *præfatione theorematum de Mechanismò motûs sanguinis*,) Dn. D. Præses, simplici deductione declaraverit, placet tamen eandem, per apices suos, brevissimis repetere. *Sanguinem esse materialem causam inflammationis*, nemo in dubium vocat; & quidem *liberò suò motu* destitutum: imò motui jam *ineptum*, per *coagulationem*, aut *congrumationem*. Interim talis constitutionis sanguinis, inevitabile consequens est, ut *corrumpatur*: nisi *mechanicâ* quadam ratione atque efficacîâ, *corruptio* hæc ejus, vel *intervertatur*, vel *modificetur*. *Corruptio* verò illa, (nisi modo dictæ *interversiones* rectè concurrant) simpliciter fiet *putrida*, seu *sphacelosa*; nullâ verò *physicâ*, aut *chymicâ* solâ, potestate, effectu aut eventu, *purulenta*: utpote qualis constitutio eminenter *mechanico* actui, (*organicè* directo) competit. Unde etiam illud resultat, quod *detentio* hujusmodi sanguinis, nullâ *physicâ*, *materiali* aut *formali ratione* simpliciore, *Inflammationem* vel *possit* formare, vel *soleat*; dum notorium est, quod & *citatissima* & *profundissima*, subsistentis ita sanguinis, con-

ver-

versio in *putredinem* seu *sphacelum*, tantum abest, ut *æstum* aut *ardorem inflammatorium* gignat, ut potius *refrigerationem* p. n. in parte formet: sed quod potius tali constitutioni sanguinis, *inflammatio* inducatur solâ ratione *finali*; nempe, ut libera illa simplex conversio in *sphacelum* seu *putredinem*, ejusque velox & incoercibilis diffusio *fermentativa*, intercipiatur & præoccupetur. Sicut autem ad obtinendum *finem*, necessaria sunt *media*; & semper ad finem *intentionalem* media peculiari *moderamine* gubernanda; ita præsentem locum, media talia sunt 1) *directio* & restrictio copiosioris sanguinis, adhuc bene fluidi atque mobilis, ad portionem illam, mobilitate suâ jam destitutam; 2) *fortior* ita, *mechanico-hydraulicus*, *transpulsus*, fluxilis hujus sanguinis, inter portiunculas illas, *coagulatione* jam in majusculam molem concretas: quò ipsò 3) *abrasio*, adeoque successivè *distractio*, in minimas particulas, (nudâ simpliciter *mechanicâ efficaciam*,) coagulatis illis moleculis eveniens, *discussionem* efficit, sine ullâ *corruptione*: 4) sin autem hoc, propter *grandiores* moleculas, (imò *grumos* atque *moles*, in *vibicibus* à gravi contusione) ita tempestivè absolvi non possit, quin interim *corruptio* intestina jam cooriatur; aufert tamen *abstersorius* hic transpulsus sanguinis, exilissimas atque *agilissimas* particulas *sulphureas*, intestinò illò motu primò à reliquis emergentes: quibus, indefinente transitu, quasi momentaneis successibus, ita abreptis, nihil remanet, nisi *effæta*, *spissa*, *languida*, & ad ulteriorem *promptum fermentativum* motum nimio magis inepta, substantia, nempe *pus*. Circâ quam rem universam tantò rectius intelligendam, maximo usui esse possunt, imo debent, *duæ discretionēs*, minùs discreto Pathologorum vulgo maximoperè commendandæ; nempe, 1) vera discretio *gangrænæ* & *sphaceli*; & necessaria scientia, quod quidem *gangræna* faciliè transeat in *sphacelum*; interim nullâ ratione *conversio* talis locum hic

inveniat, quasi omnem *sphacelum* necessariò antecedit, in primis insignis, *gangræna*: cujus rei contrarium ad oculum dilucescit, in sphaceli semel concepti, ulteriore *grassatione* atque *diffusione*, à quâ longe abest omnis *gangræna*; quæ tamen, ex irritâ illâ opinione, necessariò tantò major esse deberet, quantò major esset complexus *sphaceli*. 2) Considerare jubemus, quod *vibices*, aut grumi sanguinis à gravi *contusione* collecti grandiores, ad *suppurationem æqualem* per totum sui latifundium, valde *refractarii*, imò alieni sint, sed longè magis *sphacelo* concipiendo expositi: unde peritiores Chirurghi, imò ipsi Barbari in mancipiis suis, ratione & experientiâ ita docti, potiùs vibicem *dissecant*, & grumum sanguinis eluunt: nempè super fundamentò allatæ à nobis *mechanicæ* aptitudinis, & necessitatis.

§. XVI.

Jam verò, quod *Inflammatiò*, ipsorum vasorum obstructioni imputetur, tam longè abest à *facti veritate* seu *experientiâ*, & *fiendi ratione*, seu *mechanicâ*, ut potiùs, à verâ *stasi* ac detentione sanguinis, in *vasculò* aliquò adhuc inclusi, nihil nisi *Furunculus* emergat; cujus qualiscunque tandem *maturatio*, si tempestivâ *apertione* ventiletur, vix *dimidiam guttam* puris aut saniei præbet; cui, aliquantò fortiore pressione, statim sincerus *sanguis* succedit: & sicubi, per *maturantia* atque *suppurantia* intempestitiva, tota circumstantans *inflammatiò* non ipsa quoque depravata est, solvitur illa iterum, & *discutitur* sponte, sine ulteriore corruptione: quæ aliàs in *valde spissum pus* conversa, atque tota excidens, daß ein ganzer Euse heraus fällt, non solum gratis majorem *abscessum* format, sed etiam, intuitu vasculi majusculi, præcipuè affecti, periculò non caret, & *pus* tale semper *sanguinolentum*, & facilè *subputridum* efficit: quæ res etiam in *scirrhis* sanguineis, ad corruptionem devolutis, mali ipsorum *moris*, & vix unquam obtinendæ *sinceræ suppurationis*, certum fundamentum est.

§. XVII.

§. XVII.

Ut adeò etiam *obstructio vasorum* sanguiferorum, à verâ ratione producendæ *Inflammationis*, duplici ratione ablutat; primò, generaliore illâ jam suprâ allegatâ, quod *obstructio unius aut alterius* vasculi, longissimè adhuc absit, à qualicumque necessitate *latioris staseos*; dum utique per hydraulicam promptitudinem, defectus liberi successûs, in aliquot tubulis, nihil effatu dignæ difficultatis objicit reliquis vicinis, & conjugatis: & quidem tantò minus, quantò *plures* horum præstò sunt. Secundò specialius, quoniam *stasis* in *vasculis* ipsis, & non potius *extra vasa*, in *poris & meatibus* musculosis, nequaquam *inflammationem suppuratoriam* seu apostematodem, post se trahere potest: sed simpliciter *furunculum*, ab apostemate multis parasangis differentem: & hoc tam per rationem *mechanicam*, quàm per experientiam *Physicam* atque *Medicam*: quæ posterior proinde etiam hoc docet atque suppeditat, quod *inflammationes apostematodes*, uti facile, ita etiam frequenter admodum, occurrant: *furunculi* ex adversò, adeò rari sint proventûs, ut vix ergà *mille* apostemata, produci possit verus *furunculus*.

§. XVIII.

Jam, ut etiam *tertium* dubium eximamus, quod occurrit circâ efficaciam *obstructionis* vasorum, ad producendas *Hæmorrhagias*; repetenda huc etiam est generalis illa, & penitè evidentissima *antipraxis hydraulica*, modò etiam allegata; quod nempè paucorum aliquot canaliculorum obstructio, si vel maximè eveniret, nequaquam efficere posset, ut simpliciter & unicè, in aliquot *proximos* solùm, circumstantes alios canaliculos, totus impetus, eâ mole atq; pondere illò, incumberet, ut propterea ex illis *eruptio* talis, ullâ *facilitate*, nedum *necessitate*, sequeretur. Deinde, cum, iterum per suprâ dicta, in *venosis* minimis vasculis, *obstructio* talis proptereâ concipi non possit, quia ab *arctis* meatibus, ad *ampliores* procedentibus, *obstructio* nullâ verisimili-

litudine concipi potest; sed unicè in progressu à *capacioribus* potiùs, ad *arctiora*. In *arteriis* autem, ubi fit progressus talis, (à *capacioribus* ad *arctiora*) si hæere deberet prætenta illa *obstructio*, non posset utique sequi *hæmorrhagia*; quoniam hæc ratione, ex *obstructis* arteriolis, nihil *erumpere* posset: è *venulis* autem, deficiente uleriore impulsu ab *arteriolis*, nihilò magis etiam ulli tali *eruptioni*, occasio obtingeret: cum per *venulas*, non *affluxus*, seu motus à majoribus ad minores, (qui *eruptionis* fundamentum esse deberet,) locum inveniat: sed simpliciter contrarium, nempe progressus à minoribus ad majores. Qui, allegatâ illâ ratione, *liber* utique manens, etiam nihil aliud effecturus esset, quàm hoc ipsum, quod toti huic hypothese contrariatur, ut nimirum nulla planè *eruptio* seu *hæmorrhagia*, hæc quidem ratione, unquam evenire posset.

§. XIX.

Quibus rebus adjungere deberent hujusmodi speculatores, illud, non à speculatione aliquâ, sed ab ipsâ *quotidianâ experientiâ*, manifestum atque evidens phænomenon, quod in *hæmorrhagiis* æquè, *narium*, insolentioribus, ac in ipsis *doloribus* capitis, ad *hæmorrhagias* tales tendentibus, vasa *venosa* circa *tempora*, imò in ipsis communiter *oculis*, *inflata* conspiciantur atque *turgida*. Id quod nemo hominum conciliare poterit, cum *obstructione* aliquâ; qualem in ipsis usque conspicuis *temporalibus* vasis *venosis*, (è quibus utique proximus patet transitus in *capaciora jugularia* vasa,) absolum esset supponere. Certè itaque in tali quoque casu, & hõc evidente phænomenõ, nulla usquam stabiliri poterit veritas *obstructionis*; utpote quæ non alibi quæri hõc posset, quàm in ipsis majoribus vasis, *versus* jugulum, aut ipsis planè *jugularibus*: quâ nempe demum *liber refluxus* à minoribus, & ipsis *temporalibus*, ad majora illa *obstructa*, interceptus, hanc *inflationem* seu infarctum minorum illorum, producere deberet: hæc una, inquam, & nul-

Nullâ aliâ, *mechanico-hydraulicâ* ratione, si obstructio pro
causâ eventuum talium verâ, haberi mereretur.

§. XX.

Sicut autem hâc ratione luculenter satis dispalescit,
 quod *obstructio* vasorum minimorum, in culpâ hîc esse ne-
 quaquam possit: ita auget has difficultates, & ostendit poti-
 us atque confirmat contrarium, illa experientia, quod *hæ-*
morrhagiæ, non tam promptè sequantur *spissitudinem* sangui-
 nis, suppositis talibus *obstructionibus* opportunam; quàm
attenuationem ejusdem atque *agitationem*, à *curfu*, *æstu æ-*
ris, *ingurgitatione* spirituosioris *vini*, *aromatibus*, *iracun-*
diâ &c. Præterea etiam, non tam *qualitate* aliquâ satis
 probabili sanguinis, quàm *quantitate* abundante, seu *ple-*
thorâ, nitantur, & ab illâ foveantur. Adeò, ut etiam his
 respectibus, veritas conceptûs de *obstructione*, harum re-
 rum culpam gerente, penitùs in nebulam atque auras eva-
 nefcat.

§. XXI.

Imponit autem rei huic, fatalem planè colophonem,
 circumstantia illa *hæmorrhagiis* variis, innumerabilibus
 planè exemplis, familiarissima; quod illæ *statis* *periodis*
 temporis reverti soleant. Qui certè verus est nodus Gor-
 dius, quem nemo hætenus patronorum *obstructionis*, vel
 digitò summò attingere ausus est. Nam mansit certè o-
 mnibus adhuc illa verecundia, ut de *exquisite* *statò* *reditu*,
 seu potius *novò* *ortu* *statò*, *causæ* *obstructionis*, nempè *gru-*
mositate sanguinis, iterum repeto, *exquisite* *statò* *tempore*
 solùm recurrente, hominibus non plane pueris, aliquid oc-
 cinere, nedum persuadere velle, erubescerent.

§. XXII.

Id quod certè tantò majore jure abstinuerunt facere;
 cum negotium *hæmorrhagiæ* *menstruæ* fœminarum, toti
 habitato orbi endemium, non posset non illos, non solùm
 perplexos, sed certè attonitos, reddere. Nam eòsque,

ut hujusmodi causariis fabulis faciles aures præbeat, nondum satis repuerascere apparet mundus.

§. XXIII.

Dubitavimus *tribus* illis, huc usquè à nobis commemoratis ætiologiis, quæ *obstructioni* vasorum superstruuntur, *quartam* etiam sociare; utpote adhuc gravius, tam adversus rationem *mechanicam*, quàm experientiam *Medicam*, impingentem: nempe, quod ab *obstructione* vasorum, etiam *Spasmi* originem ducant. Cum enim *spasmi* non solum ibi observentur fieri, ubi nulla, nisi gratis supposita, & nudè commentitia, *obstructio* talis, fingitur: sed etiam ibi, ubi (licet eadem incertitudine,) *obstructio* talis adhuc severius urgetur atque propugnatur, *nullæ*, nedum *proportionatæ*, *spasticæ* syndromes sentiuntur: ut in *inflammationibus*, & *hæmorrhagiis*: judicamus proinde supervacuum, & soli perdendo tempori ac sermoni opportunum esse objectum, de tali re sollicitè disquirere, quæ à priori, nullâ verisimilitudine probari potest: à posteriori verò, nempe ab experientiâ, & insuper iisdem fundamentis superstructâ, manifestò reprobatur.

§. XXIV.

Hæc de *vasorum sanguiferorum obstructione*, commemorasse, atque disquisivisse, sufficere posse speramus, circa *Theoreticum* usum; de practicò postea dicturi. Subjiciamus aliqua etiam de *aliorum vasorum obstructione*, magis aut minus verisimili. Quod, priusquàm faciamus, venit aliquid denuò monendum, circa homonymiam vocabuli *vasis*, in quantum non tam ad *sanguinem*, quàm ad alios *fluores* refertur. Ubi nempe non ignotum est, quod vocabulum *vasis*, ab aliquibus interdum eò extendatur, ut etiam quodlibet *continens*, quilibet *ductus*, *tubulus*, *meatus*, *vasis* nomine, nempe rhetoricè magis, quàm grammaticè, designetur. Qualis autem acceptio, ut in se catachrestica est & inadæquata, ita ad nostri scopi subjectum nequaquam re-

fe.

ferenda venit; dum nos potius per *vasa*, uti etiam decet, nihil aliud intelligimus, quàm ejusmodi *canales*, per quos *perpetuus* ille, sanguineæ *massæ sociorum* humorum, sanguinis, inquam, & lymphæ atque feri, *progressivus* motus, ad sic dictam *circulationem* humorum pertinens, celebratur: non autem tales ductus aut cavitates, per quales non nisi languidissimus aliquis *successus* aut *progressus*, cujuscunque tandem *fluoris*, perpetratur: cujusmodi v.g. sunt *testes*, *vesiculae seminales*, *glandulae*, sive revera tubulosæ, sive spongiosæ.

§. XXV.

Hâc acceptione *vasa*, de quorum *obstructione* cogitare ex usu fuerit, ante omnia erunt ipsa *Lymphatica*. Horum extremi apices, & ramuli ac divaricationes, cum per summam, tam *capacitatis*, quàm *texturæ* atque consistentiæ, *teneritudinem*, nullò sensu, sed solâ *ratione* attingi valeant; etiam circa quaslibet sui affectiones, non aliter nisi eâdem solâ *ratione* judicari possunt. Jam dictat utique vel simplicissima *ratio*, quod *vasa* tali *ratione* contexta, utique possint facile *obstrui*; cum imprimis in *lymphâ* atque *serb*, satis *spissorum* portionum, tam gelatinosæ, quàm mucosæ consistentiæ, præstò sit, quod exilissimis talibus orificiis obvi-scandis atque obstruendis, idoneum esset. Interim hæc eadem ipsa *ratio*, necesse etiam habet illud agnoscere, & omni modò confiteri, quod, quamvis veluti miraculo propinquum videatur, tantam atque adeò præsentem *potentiam*, non in *actum* deduci; tamen hoc nimio certius ita sese habeat, nempe, cum certissimè semper fieri POSSE maximè probabile sit, tamen longè certius, & effectu ipsò comprobatum, maneat, quod fieri non SOLEAT. Id quod certè etiam in totò corporis systemate, pari undique constantiâ sese exerens atque sistens, insignem certè materiam præbet Medico cordato, ad cohibendum animum à crudis illis præfigurationibus, quomodo sese invicem ha-

beant *proportiones materialiarum fluidarum*, ad *vias*: sepositō interim & non animadversō, moderamine passim & subtilissimō, & exquisitissimō, ipsorum *motuum*: qui proportionibus his tam in *ordinem* justum, quàm *successum* debitum, deducendis, præsumt, & abundè pares sunt, nisi ipse potius *directè*, quàm *materiae*, aut *viae*, *anomaliâ* aliquâ insigni afficiantur. Quod ipsum etiam, de fragilitate & summâ teneritudine solidescantium partium, gnauiter expendendum venit. Unde etiam *adstringentia* remedia, aut quæcunque talis effectûs compotes occasiones, nimio plus morbidorum effectuum passim edunt, quàm ullæ *materialiarum*, siue dispositiones, siue actuales jam præsentis constitutiones.

§. XXVI.

Id quod omninò dilucescit exemplō *hydropis, ascitis*; qui immensum, & propemodum ineffabile quantum, rariûs, sequitur manifestissimam etiam *dyscrasiam spissam* aut *tenacem* humorum; quàm inconditum, etiam brevem, usum *adstringentium*, vel ad *febres intermittentes* supprimendas, vel ad *hæmorrhagias* compescendas, adhibitorum. Adeo, ut vel mille hujusmodi *febricitantes*, aut *hæmorrhagiam* patientes, numerari possint, quorum nulli affectus talis œdematosus aut asciticus, eveniat: cum ex adversō, non solum ex illis, qui per *adstringentia* in talibus affectibus minùs consultè tractantur, facilè bonus numerus tales eventus incurrat; sed etiam, si experimenta talia facere bonâ conscientia liceret, promptum semper esset, effectum hunc certò producere: dum interim satis promptum est, veraci omninò præfagiō, impendentes ejusmodi eventus, quando talia artificia minùs consultè suscipiuntur, formare & prædicere, ut veritas prædictioni nimio certius consentiat.

§. XXVII.

Interim, ut etiam *rationi* sua constet evidentiâ, est etiam illud hûc referendum, quod jam supra de termino mo-

his per vasa, notavimus. Dum videlicet in vasis etiam *lymphaticis*, motus humoris, à *minimis* ramulis ad *majores* procedit; nempe ab angustioribus ad capaciores: quod utique, eadem difficultate, quam de *venosis* allegavimus, etiam in *lymphaticis* fieri possit aliqua *obstructio*. Adeo, ut si quid tale reverà eveniat, nequaquam quærendum illud sit in *ipsis vasis*, quàm potius in *glandulis*, per quas humor talis ad vasa demum transmitti atque pervenire deberet. Unde etiam est, quod in *hydropicis*, nunquam, nisi per solam mentalem præfigurationem, demonstrari possint vasa *lymphatica* malè affecta: bene verò *glandula*, ad quas vasa *lymphatica* humorem suum convehere, aut ab illis demum accipere, debebant, *indurate*, adeoque rationabili collectione *obstructæ*. Ut adeo ἀτόπων tunc sit, de *vasorum* potius immediatè, quàm *glandularum*, aut *meatumum* denique quorumlibet, ad vasa illa transmittentium, *obstructione*, mentionem facere.

§. XXVIII.

Quæ quidem consideratio, etiam propterea tanto magis necessaria est, quæ memori mente teneatur, cum longè frequentissimè etiam ipsa tota *conformatio*, non *vasorum*, sed *glandularum* imprimis, & *meatumum*, (quod imprimis in *hydropè* atque *oedematibus*, conspicitur,) ita deformetur, *expansione*, & successivò in totà suà solidà texturâ *accremescens*, (imprimis in *hepate*) ut, si vel maximè *materia* contenta, infarctum illum formans, iterum dissolveretur & evacuetur, & nihil nisi legitima *fluxilis* in ejus locum succederet; tamen, quia *conformatio* illa longè *capacior*, in solidescente texturâ formata atque *obfirmata*, in antiquam *teneritudinem* non simul revertitur aut reducitur, aut humor, iisdem *promtis* progressibus, ut olim, per vias jam valde *ampliatas* procedit: fieri inde non possit, quin totus labor, nãvos hos è fundamentò in debitum statum redigendi, irritus evadat.

§. XXIX.

His ita affatim, & certè è principiis manifestò atque luculenter *mechanicis*, commonstratis, imò demonstratis, super est, ut planè aliâ ratione consideretur efficacia illa, quâ, in rei veritate, non tam *obstructio*, quàm *regurgitatio* atque *stagnatio* humorum, non tam in *minimis* vasis *versùs majora*, sed potiùs in *majoribus*, *versùs minora*, imò in ipsis *viis* & *meatibus* reliquarum solidarum partium, fieri possit: & quidem hoc ipsum etiam, verâ *mechanico-hydraulicâ*, & tunc demum succedente *physicâ*, ratione.

§. XXX.

Ubi nempe *duo* inprimis sunt, *mechanico-hydraulica* fundamenta, quorum interventu vel *generalior* atque *latior*, vel *specialior*, *arctioris* ambitùs, imò valde particularis, talis *regurgitatio*, obtingere possit: interim illa ipsa quoque, præsertim *latior* illa, *stagnatoria* potiùs, (manente adhuc, licet *languidiore* atque *laboriosiore*, progressu:) quàm *obstructoria*, quæ veram humorum *stasin*, è stasi *coagulationem*, & è coagulatione immediatè impendentem *corruptionem*, post sese trahat.

§. XXXI.

Priorem quod attinet, legibus utique *mechanico-hydraulicis* simplicissimis consentaneum illud est, quod, si in systemate *tubulosò*, exquisitè inter se conspirante, ad quod proinde uniformis ille impulsus humoris, æqualiter pertineat & pertingat, v. g. *dimidia*, aut solùm *quarta*, pars horum ductuum, ultrà *æqualitatem* illam univèrsalis reciprocæ proportionis, in arctiorem capacitatem redigatur; id quod non tam necessariò *obstructione* internâ, quàm solâ *stricturâ* aut *compressione* externâ, (per ambitum mollium & mobilium talium ductuum,) fieri potest: quod, inquam, illa quantitas humoris, quæ aliàs in hos quoque ductus incubuisset, ita redundet, & quasi recumbat, in omnes illos reliquos, qui eâdem tali *stricturâ* non corripiuntur.

§. XXXII.

Sunt autem hujus rei specimina passim obvia, in prudenter atque circumspectè sagaci praxi quotidianâ; è quibus in vulgus nota sunt *duo* illa, *primò*, quod *utrique* quidem, inprimis tamen *fæminino* sexui, nempè subjectis ad *acutos dolores capitis recurrentes*, plus minus *adsuesfactis*, non solum, quando paroxysmis veluti hujusmodi dolorum corripuntur, *inferiores* corporis artus, imò aliquando etiam manus atque brachia, ad sensum *frigidali* sint, quin *horripilationes* frequentiores etiam totum corpus percurrent, & levissima aura frigida, admodum sensibilibiter sic affectos molestè percellat: sed etiam adhuc tranquillioribus suis rebus, si reliquum corpus æqualiter benè caleat, *pedes* verò atque *tibiæ* frigori exponantur, aut alibi corpus *refrigerationi*, inprimis *particulari* exponatur, tunc consueta illa *cephalalgia*, quasi cum impetu illos invadat: cum phænomenò illò ad oculum luculentò, ut in partibus *frigidulò* illò sensu vexatis, nulla vasa sanguifera conspicienda sese offerant: in *temporibus* autem, aut ipsis *oculis*, *turgiditate* peculiari emineant atque visui pateant. *Secundò*, notum similiter in ipsum vulgus est, quod in hujusmodi ipsis *cephalalgis*, si versùs noctem *pediluvium*, etiam simpliciter ex *aquâ dulci* ad tolerantiam calidâ, adhibeatur; quod inde, ad minimum per aliquod tempus, horas aliquot, si non æque totam illam noctem, *dolor* ille, *tensivus*, *gravativus*, *inflatorius*, sensibilissimè diminuatur: emicante interim eòdem illò phænomenò, ut *vasa sanguifera* in pedibus, *turgescant* & conspectui pateant, imò toti pedes, maximè quoad aqua calida illos obtexit, *rubicundi* evadant. Cujuslibet autem prudenti comparationi relinquimus, cæterùm notissima illa, phænomena, quomodo *fæminis* ita dispositis, paroxysmi illi *cephalalgici*, cum *appetitùs* etiam & *præcordiorum* turbationibus, velut ordinariè conjunctam habeant *alvi constipationem*, seu veram *spasticam stricturem*.

Ut de *repentinis illis retropressionibus, quantumlibet subtilibus, & ad horripilationem vix unquam pervenientibus, tam scabiosorum, quàm malignorum, exanthematum, non prolixi simus: licet revera in ejusmodi casibus, ex illâ hypothefi, longe magis suspecta esse mereretur obstructio tenuiorum vasorum, tanquam ab humoribus jam passim manifestò eximiè lentescentibus, satis probabiliter ad conceptum, expectanda.*

§. XXXIII.

Ita verò etiam magis *particulares hujusmodi stricturas, circà ramos aliquos insignes vasorum, evenire posse, qui liberum per hos sanguinis progressum inhibendò, (nempe, si non simpliciter & absolutè suppressendò, tamen notabiliter imminuendò atque restringendò,) non solùm inflationem talem inducant, portioni (venosæ) inter extremos ramulos, & majorem illum ad hos pertinentem: sed in ipsis etiam porosis partibus, per quorum meatus, sanguis ex arteriis in venas perreptat, stagnationem ejusmodi efficiant.*

§. XXXIV.

Puto hanc rem non solùm commodum, sed quantum nobis videatur, etiam unicum solidum & reale, conceptum suppeditare posse, quomodo *eruptio, & ad hanc pertinens contentio, sanguinis in venâ hæmorrhoidali, & non rarò ipsâ splenicâ, aut certe alterutrâ, fieri soleat. Ubi nempe, cum vulgò decantata illa obstructio in extremis exilibus ramulis, locum non inveniat, per manifestas rationes, tam in genere, quàm de hæmorrhagiis in specie, jam demonstratas; jure meritoque certè considerandum venit, an non ex adversò, strictura talis non solùm unicum sit, rationi conceptibile atque probabile medium, sed etiam experientie atque veris practicis horum affectuum phænomenis consentaneum*

§. XXXV.

Ubi, quòd ad *rationem* attinet, Anatomie, (nisi illa, inter

ter perspicilla subtilissimis minutiis adhibenda, circa cras-
 siorum rerum conspectum obstinatè cæcutire velit,) non
 potest ignotum esse, quomodo in corpore *humanò*, tum re-
 liqua abdominis, tum inprimis *meditullium* illud *mesente-*
rii, ubi *truncus vene portæ* in ramos dividitur, & inprimis
splenico-hæmorrhoidalem format, spississimis *fibrosis* plexi-
 bus ita munitum sit, ut sanè circumspectus labor adhiben-
 dus veniat, ad vasa hæc ex illò velut enucleanda atque de-
 nudanda. Jam, sicuti *rationi* contrariatur, quod plexus hi
fibrosi, sine peculiari scopò aut usu efformati sint; ita ex
 adversò, longè probabilissimum utique erit eidem *rationi*,
 quod mediantibus hisce *plexibus*, tum ipse *truncus vene*
portæ, tum privatim *communis* ille ductus ejus, in quem
splenica & hæmorrhoidalis vena coëunt, mediantibus hisce
fibris copiosis, stringi atque coarctari possint. Quò autem
 factò, per ipsam sanam *rationem*, *stagnatio* inter hanc stri-
 cturam & extremitates horum ramorum, liquidò utique
 agnosci poterit.

§. XXXVI.

Suffragatur autem huic *rationi*, *experientia* ipsa, no-
 toriis illis *spasticis stricturis & contentionibus*, sub ipsis *præ-*
cordiis introrsum, nempe circa ipsum locum *meditullii me-*
senterii; quæ non solùm viris *hypochondriaco-lienosis*, fatis
 familiaris est: sed inprimis etiam *feminis*, (quæ *hypochon-*
driacis talibus, & *hypochondriaco-spleneticis*, pathemati-
 bus, non solùm familiariùs, sed etiam graviùs, quàm viri,
 notoriè expositæ sunt,) adeò graviter incumbit, ut proin-
 de regionem illam ipsis digitis monstrantes, edisserant, in-
 sultus tales graviore, sensum exprimere, ac si in *meditul-*
lio illo abdominis, sub *præcordiis*, *manu* aliquid compre-
 henderetur atque comprimeretur; (Es sey nicht anders, als
 wann man ihnen an solchem Orte mit der Hand etwas zusammen
 griffe und zusammen drückte: quin etiam propterea intror-
 sum retractò abdomine circa umbilicum, quasi condupli-

catæ sedere cogantur; & sub tali situ aliquantò meliùs sese habeant: si verò erigant corpus, atque adeò voluntariâ extensione, contractioni huic resistent, acerbissimum sensum, als wann etwas zerreißen solte, inde experiantur, imò sæpe numero suffocativam oppressionem inde incurrant: tandem verò aliquæ harum, inprimis *externis* causis occasionalibus ad *vomitum* rem inclinantibus, *vomitus cruentos* inde experiantur. Satis evidente nempe efficacîâ, *spastica hujusmodi* stricturæ, circâ hunc locum *meditullii* veluti *mesenterii*, ubi *vena portæ* insignis *ramus splenico-hæmorrhoidalis* situm suum habet.

§. XXXVII.

Quæ tota res, cum inprimis sceminino sexui non aliunde faciliùs atque certius ingruat, quàm à *menstruæ* evacuationis, præsertim *repentinis* (& quam maximè, ab *animi pathematibus* originem nactis,) suppressionibus; præcipuè si deinde per artificia sanguinem notabiliter *turgescentia*, has iterum expedire aggrediantur: putamus certè non longè petendam, aut admodum ambiguum vel dubium, inde neci posse collectionem, quomodo hujusmodi affectus, magis a *spasticâ compressione majorum ramorum* versus minores, oriantur: quàm ut ipsis *minoribus*, immediatè, *obstructio* aliqua interna, ab humorum ipsorum in his restitantium, *dyscrasiâ*, inde imputari possit. Quod ipsum etiam tantò læculentiùs confirmare videtur, ipsa illa promptitudo novarum ejusmodi *exacerbationum*, per nuda *animi pathemata*; utpote quales, certè vel ipsâ experientiâ (si ratio nulla agnosceretur) teste, *motuum*, inquam, insignes alterationes, nimio promptiùs sequuntur *animi motus*, (vel ipsâ *palpitatione cordis* immediatè à *terrore*, ostendente) quàm ut ulla verisimilis ratio allegari possit, quod ab *animi pathematibus*, inprimis tam repentinò effectù, ipsa *dyscrasis* humorum eò usque alterari valeat, ut inde *vasculis* quibuscunque tandem *obstruendis* pares evaderent. Nedum, quod

quod eadem ipsa implicatio, adhuc illò quoque respectu, certè insolubilis, restitaret, si utique *dyscrasia* aliqua talis in humores inde redundaret, cur effectus illius *obstructorius*, velut absolutè in has *certas* potiùs venulas, quàm alias per reliquum corpus, inde redundare deberet: aut, si talis etiam in *cephalalgis*, in foemininò sexu communiter unà concurrentibus, supponeretur, quomodo à tali *obstructione* minimorum vasculorum, *inflatio* majorum conjugatorum conspicua, inde oriri posset. Nam certè nimium quam *aró-ros* hùc trahitur, *suspensio* humoris in siphone, si ipse *aditus* occludatur: cum motus sanguinis *restuus* in venis, in corpore *vivò*, nulli tali *lapsui*, qualis in siphone viger, sed *veræ pressioni* tonicæ partium venas circumstantium, manifestò innitatur.

§. XXXVIII.

Sicut autem hæ rationes atque demonstrationes, quantum nos quidem usquam perspicere valemus, ita utiq; comparatæ sunt, ut per illas veritas *obstructionis* talis, tam crebrò & familiariter allegandæ, non possit assensum invenire; ita ne tamen etiam tota hæc consideratio, potiùs purè *Theoretica*, & ad nudam speculationem pertinens, reputari possit, efficit longè dispar omninò *directio Therapeutica*, seu vulgò scholis Medicis dicta *Indicatio*, alienioribus ejusmodi theoriis de *obstructione vasorum* vulgò superstrui solita.

§. XXXIX.

Non equidem ignoramus, neque etiam ab aliis facilè ignorari posse credimus, causariam illam exceptionem, aliquorum non postremi ordinis, ut vulgò audire gestiunt, Dogmaticorum recentiorum; dum persuadere mundo allaborant, quasi *diversi* illi *conceptus Theoretici*, de hâc re & similibus, nullum præjudicium inferre possint aut soleant Praxi; dum hæc potiùs, quasi unanimi consensu, ab omnibus Practicis *eadem* deinde adhibeatur, & solùm supervacua disceptatio, de *modò agendi*, & consequenter, de *habi-*

in causarum morbiferarum ad remediorum potestatem, subfit. Sed provocamus audacter, ad quoslibet solertiores hodiernarum commendationum practicarum arbitros; an non ubilibet ferè ordo penitùs *inversus* inveniatur; & potius, *suppositis* ejusmodi, à rei veritate alienis, *causis*, demum *remedia* quærantur atque destinentur, *hypothesi* quadrare apparentia: quàm ut solùm *verus* remediorum effectus, juxtà *hypotheses* illas *theoreticas*, de *causis* morborum, ex efficacità inquam, verà & constante remediorum talium, recipere æstimetur aut judicetur.

§ XL.

Dilucescit hæc res è *duplici* exemplò, satis in ipsos sensus incurrente; *primò*, tot *novorum*, veteribus pharmaceutis incognitorum, nedum inusitatorum, *Aperientium*, *Attenuantium*, *Resolventium*, *Incidentium*, *Edulcorantium*, *Præcipitantium*, partim *absorbentis*, partim salinæ *abstergentis* atque *colliquantis* efficacità nomine de prædicatis: *terree*, *martialis*, *alcalicæ fixæ*, & *urinoso-volatilis*, profusæ. Quibus tamen interim, *secundò*, nemo neque *civium*, neque, antè omnia, *certius*, ab hujusmodi affectibus, in integrum restituitur, quàm ullis antiquitati usitatoribus, remediis. Adeò, ut si candidè sinceram veritatem æstimare animò sedeat, passim nihil aliud inde reportetur, quàm nuda fortè *symptomatum transitoria* interversio: & nuda persuasio, quod, si his remediis nihil solidi impetretur, quæ nempe, ex *hypothesi*, omnibus modis, *imaginariis* illis *causis* convenire atque satisfacere debebant, etiam nullis aliis, neque *methodis*, neque *mediis*, quicquam obtineri valeat. Adeò, ut revera planè *inversus*, & *contrarius* antedictæ assertioni, effectus, affatim inde dilucescat; quod nempe *Theorie* tales, non qualitercunque *applicentur* phænomenis practicis, verorum bonorum effectuum: sed planè contrà, boni effectus *supponantur* atque sperentur ab ejusmodi remediis, quæ merè *opinionè* de certâ aliquâ *causalì* constitu-

tutione atque conditione morborum, convenire atque quadrare debere, putantur.

§. XLI.

E quò nempè fundamentò, omnino prognata est, solenniffima illa hodiernæ scholæ Medicæ opinio, quasi in *plerisque*, imò *eminentioribus* ejusmodi affectibus, qui, secundum hypothèsin de *obstructione vasorum, crassi humorum, motibus* reluctanti, assignantur, nullis aliis remediis locus sit, quàm simpliciter talibus, quæ hanc humorum *crassum*, alterare seu corrigere possint: adeoque illos debito *motui* obsequentes reddere: non verò *motus* ipsos potius, vel *directè promoventibus*, vel ad certum *locum* contendentes, dirigentibus, aut aliò divertentibus.

§. XLII.

Dum interim vel simplex, *tempestiva, præservativa & præoccupatoria, imminutio* sanguinis, & *diversio* obstinati ejusdem *motus* ad *peculiarem* aliquam regionem, *avocatio* verò atque *derivatio* ad alium, *commodiorem* aut tolerabiliorrem locum, communiter longè plus hîc valet, & breviori tempore bonos effectus assequitur; & longè *durabiliores* atque diuturniores bonos ejusmodi effectus exhibet, quàm à diu continuatis, variis ejusmodi tentaminibus *alterativis* atque *correctivis*, planè frustra expectatur. Ad minimum autem aliis, nequaquam ad illum censum *alterantium* atque *corripientium* reducendis, remediis, debitâ *subordinatione* subjungendis, viam ita planam reddit, ut neque hæc sine illâ præmissâ, optatum talem luculentum bonum effectum fortiantur: neque altera illa, ad nudam hypothèsin destinata & accommodata remedia, ullam similitudinem talium effectuum attingant.

§. XLIII.

Ubi certè manes suos patitur commentum illud, de immani efficacîâ *salinarum potentiarum*, tam ad *producendos* tales morbos, per *vasorum obstructionem*, quàm eosdem

per *contraria* salia, iterum subigendos. Inter quæ inquam, commenta, agmen planè ducit traditio illa, ab exiguo retrò temporum intervallò, nempè vix ab octo lustris, in omnium ora propagata; proscriptio, inquam, *sacchari*, è quotidianò usu: sub prætextu, quod *dulcia*, & propterea *saccharum* tanquam inter illa eminens, facile *acescant*: *aciditas* autem, humores *coagulet*: *coagulatio* talis, *obstructioni* vasorum ansam suppeditet. Dum interim, non solum numeri utriusque *sexûs*, *hypochondriaci*, hanc opinionem quotidianò suò *exemplò* & *experimentò*, ita irritam reddunt, ut in rei *veritate*, nihilò pejus inde habeant: (paucis, ut plurimum imaginariis quibusdam exemplis, sceminarum aliquarum, magis *phantasticâ* quâdam, *animi patheticâ*, quàm verâ *physicâ dysphoriâ*, molestiam inde vel sentientium, vel suspicantium, exceptis,) sed etiam totæ provinciæ, sub *quotidianò usu* *sacchari*, in *cibis*, *vinò*, imò ipsâ *cerevisiâ*, nihilò frequentiores inde experiantur ejusmodi morbos, qui *obstructionibus* talibus, tanquam *causis*, & respectivè *effectibus*, *aciditatis*, & inde deductæ *coagulationis*, superstruuntur, quàm tota cohors talium ægrorum, qui ejusmodi persuasionibus *auscultantes*, à *saccharò*, tanquam à venenò, maximâ *solicitudine* sibi cavent. Quod idem valet de *acidorum*, (*semidulcibus fermentescentibus* exceptis,) usu. Ubi nempe, quod etiam alibi jam monitum esse recordamur, valde *heteroclitica* trasfumptio, à *melle*, & similibus *acerrimè fermentescentibus* (*horæis*) *dulcibus*, ad *saccharum*, fundamentum errori præbuit. Quæ eadem incondita credulitas, etiam ansam præbuit *saccharo* imputandi, quod massam sanguineam ad *mucidam tenacitatem* deducat, daß der Zucker sehr verschleime: nempè contrà manifestam, totis populis testibus in contrarium, experientiam. Quam diversitatem experimentalem, *consuetudini* deinde tribuere velle, ἀτοπότητον certè est: quandoquidem *materiæ* conditiones *physicæ*, nullò tempore ullis *adsuetudinibus* mutantur, sed soli

motus: de quibus autem, in illâ *hypothesi*, altum est silentium, sed totus sermo, unice, in arguendâ *mobilitate* materiæ occupatur.

§. XLIV.

Unde quidem etiam manifesta evadit vera ratio *utilitatis*, à *motu voluntariò* expectandæ, in ejusmodi affectibus, qui *obstructioni* vasorum ex illâ *hypothesi* adscribuntur: & quidem utilitatis, tam *preservativæ*, quàm, in *chronicis* casibus, etiam *curativæ*.

§. XLV.

Cum enim *motu* corporis voluntariò, rectè institutò atque *gubernatò*, equidem sanguis *spissior*, verè *fluidior* reddatur; sed tantò magis *inequales* ejus restrictiones atque regurgitationes, ad universale *equilibrium* propiùs redigantur: quin ipsa ejus *quantitas* sensim sensimque *imminuatur*: longè certè faciliùs inde licet intelligere, quantò major sit efficacia ipsius potiùs *motus*, *mobilitatem* simul inducentis atque foventis, quàm contrà *mobilitatis*, *motum* opprimentis.

§. XLVI.

Dilucescit hæc res tantò magis, ab experientiâ illâ, in se semper verâ, licet non semper tutâ & consultâ, in ejusmodi affectibus, qui per *hypothesein* de *obstructione vasorum*, *immobilitati* humorum, tanquam *cause* tribuuntur, v.g. *inflammationibus*, præcipuè *apostaticò* quòdam motu, citò atque late partem aliquam invadentibus. Deducit has, *hypothesis* illa, à sanguine *crassò*, *coagulatò*, aut viscidò, in tali parte *stasin* assecuto, & *obstructis* *vasis*, longe lateque circum *resistente*, & parem *crassitiem* atque *immobilitatem* subeunte. Hoc si ita esset, certè nullum prorsus effectum assecutura essent remedia *vias adstringentia*; quandoquidem ab his nihil usquam aliud expectari posset, quàm longè *firmior* & planè *impacta* detentio, si super materiam *crassam* atq; densam, *via* & *meatus* constringerentur, adeoque

que arctissimè , materiam jam ante illis *impactam* , stiparent, & ut loquuntur, incarcerarent. Monstrat interim contrarium, si modo tam utilis esset quàm facilis, quotidiana experientia; quod nempe *stagnationes* tales *inflammatorio-erysipelatodes*, aut *phlegmonodes*, facillimo negotio, à locò, quem occuparunt, per sola *constringentia*, (& vel nudum *frigoris* sensum, quod tamen adhuc magis *inspissare* & *coagulare* deberet humores,) depelli, & ad interiora *repelli* possint. Quod certè ex hypothesi de *materie immobilitate*, ut *causâ* affectuum talium, quilibet agnosceret impossibile futurum, cum utique *constringentia* omnia, nullam habeant efficaciam directam, in *crasin* humorum, è *spissitudine*, nedum *coagulatione* gelatinosâ aut grumosâ, in fluiditatem redigendam.

§. XLVII.

Eadem planè ratio est, de efficaciâ *adstringentium* adversùs *hæmorrhagias*; si *causa* illarum esset *obstructio vasorum*, à *spissitudine* aut *coagulatione* humorum dependens. Cum enim *eruptio* sanguinis *hæmorrhagica*, per illam *hypothesin*, tribuatur impedito *receptui* sanguinis, per *arterias* appulsi, in *venulas obstructas*; manifestum certè est, quod per *adstringentia*, fortiùs *venulis* illis velut *incuneato* sanguine, ad minimû *recursus* novæ hæmorrhagiæ invitaretur, si vel maximè tantisper, per *latiorem* adstrictionem, etiam *affluxui* per *arterias* aliquid impedimenti objectum esset.

§. XLVIII.

Sicut autem totum talium hypothesium nervum, in primis infringit *particularis* illa, semper ad *unum eundemque locum* incumbens, suppositarum illarum *obstructionum* eventus; cum nulla ratio reddi possit, cur non *obstructio* talis, seu potiùs *materia* obstructionem talem inducere accusata, eâdem facilitate in *varia alia*, quàm *certa* talia, corporis loca incidat: ita monstrat sanè viam ad planiorem conceptum de *veris* harum rerum causis, illa, modò rectè animad-

advertenda, observatio, quod *stagnationes* tales, quas illa hypothesis *obstructioni* vasorum tribuit, in nullâ aliâ corporis parte magis ordinariè coacerventur, quàm in illis, quæ ad *exonerationem* aliquam *sanguinis*, vel *immediatè* aptæ atque natæ, vel his ad minimum propiùs *σύζυγαι* sunt. Id quod nusquam luculentius deprehendere licet, quàm per tractum *tenuium* intestinorum. Cum enim per hunc, ut equidem jam superiùs notatum est, longè major quantitas *exilissimorum* vasorum distribuatur, quàm ad *colon* aut *rectum* intestinum; necessarium certè esset, ut *obstructiones* illæ, etiam nimidò plùs & familiariùs, in hæc *tenuia* intestina quàm *altera* illa, redundarent. Quod cum nequaquam ita inveniatur, alia necessariò quærenda est ratio, tam alieni eventûs, quàm generalis illa, in humorum *coagulatione*, aut *spissitudine* sui simpliciore, ad debitam mobilitatem minùs idoneorum, collocata. Quod idem etiam certè maximopere valeret de *pulmonum*, longè fœcundissimò *exilissimorum* vasculorum proventu instructorum, nimidò majore aptitudine, ad incurrendum ejusmodi *obstructiones*, quoties materia ad talem effectum producendum apta, in humorum *massa* redundaret: cum tamen accusatæ illæ *obstructiones*, seu affectus his vulgo assignati, ad miraculum rariùs in *pulmonibus*, quàm usquam alibi in totò corpore, locum inveniunt.

§. XLIX.

Quamvis autem meritò inter *Sophismata Disputatoria* connumerandum censeamus, τὸ ἀντιζητέιν; nempe si quis opinionem aliquam, sufficientibus rationibus atque argumentis, irritam reddiderit, objectionem illam captiosam: *profer tu ergo meliorem*: cum utique, si vel maximè nihil certiùs afferri posset, proptereà tamen *incerta* altera opinio, nullum meritum acquirat, ut proptereà retineri, & pro *certâ* haberi deberet: & omninò præstet, de quacunque re, *nullas* potiùs, quàm *irritas*, ætiologias protulisse:

placet tamen, ex abundanti, etiam huic difficultati, quantum in nobis est, obviam ire, atque quomodo illam *ætiologiam*, quam eodem scopò jam alteri enucleatæ substituímus, cum *praxi* conciliandam censeamus, ejusque rei ab ipsa experientiâ practicâ testimonia firma habemus, brevibus ostendere.

§. L.

Edifferuimus, quod affectus illos, quos altera opinio, à *passivâ obstructione* deducit, tribuamus potius, vulgò ita dictæ *regurgitationi*, seu secundum nostram mentem, *restrictioni* sanguinis, à *majoribus* vasis versùs *minima*. Excipientes tamen in casu *inflammationum*, utique factu possibilem, adeoque interdum evenientem, etiam *passivam* ejusmodi detentionem, ab *externis* inprimis, occasionalibus causis, aut *accidentali* eventu illarum magis *internarum*, prognasci habilem. Hujusmodi activæ restrictioni versùs talia loca, nostrâ consideratione, *occasionem*, seu *remotam causam*, (in ordine tamen *legitimi* non valde interrupti progressûs,) præbet *intentio*, & propius jam *contentio*, *Sanguinem* circa loca *hæmorrhagiis* propius idonea, ita *coacervandi*, ut tandem *ventilatoria* aliqua *eruptio* ejus sequi posset: quod alias *Apparatum hæmorrhagicum* appellare solemus.

§. LI.

Superstruimus huic considerationi, quod ad hanc rem, tanquam fundamentum totius reliquæ inde assurgentis molis incommodorum, (ut in Diss. de *venâ portæ*, *portâ majorum*, *hypochondriaci*, *splenici*, *hysterici* &c. jam pridem inquit Dn. D. P. ætes.) nulla alia medicatio, certius & exactius quaeretur, quam talis, quæ satisfaciât, I. *materiali cause*, nempe sanguinis *abundantiæ*; II. *formali remotiori*, *destinationi ventilatorio-evacuatorie* ejusdem: & jam III. *propiori*, *directioni* ejus ad *certa loca*, *certe talis evacuationi* jam propiora: aut ad minimum IV., *discussioni* ejus, & *modestæ repulsioni*

ab

ab iis locis, quæ, *formalitate* jam *immediatâ*, (*materia illa* nempe *sanguis*,) *congestoriâ* stagnatione, occupavit. Sicut autem facile utique dilucescit, quod *postrema* hæc indicatio, non latius se extendat, quàm ad scopum simpliciter *curativum*, adeoque *paroxysmos* potiùs singulos; quàm ad, utilissimum in hóc etiam genere, *præoccupatorium* & *præservativum*: propterea nos quidem *subordinationem* ejus, & *subsidiarium* usum, nullatenùs improbamus, aut negligimus: interim longe plus utique tribuimus illis auxiliis, quæ *fundum*, seu primum *fundamentum* horum eventuum, salutariter respiciunt: nempè *materialiter*, *ventilationi* sanguinis; & *formaliter*, simul *derivatoriæ* inclinationi seu *avocationi* ejusdem, ne ad *certa* talia, *particularia*, *loca*, *congestio* ejus incumbere *pergat*, aut *repetat*. Quò respectu consultò utimur vocabulò *Derivationis*, cum *Revulsio* simpliciter, non æque perpetuò, bonæ de reliquò intentioni, satisfaciat.

§. LII.

Suffecerit hujus rei *duo* exempla allegare, utraque, certissimè verò *posterior*, solertibus Practicis jam satis nota, adhibituris autem solertiam, facile noscenda atque deprehendenda. *Primum* est, quod in *primâ* *juventute*, juxta *adolescencie* fines, constitutis, *frequentiori*, & inde communiter minùs *moderate*, *narium hæmorrhagiæ* obnoxiiis, à *venæ sectione*, moderatâ quidem, sed tamen sufficiente, institutâ, pluribus exemplis observaverimus, *narium hæmorrhagias* postea vel *nullas*, vel *rarissimas*, (à *dietâ* malè ordinatâ) reverti: tantò magis, si in posterum etiam, idoneis temporum, imò annuis, *intervallis*, eandem *repetere* non negligant.

§. LIII.

Secundum est, quod *Fœminæ*, cœtera benè *sana*, & *floridâ* ac *plethoricâ* corporis constitutione præditæ, quibus etiam *menstruæ* evacuationes largâ copiâ procedere consueverunt; si, *per ætatem*, denique *fluxus mensium* ces-

fer, illæ verò otiosiore & magis *deside* vitæ genere gaudeant familiarissimè, imò ausim dicere, certissimè, posthac incidant in *turbulentior*em valetudinis suæ progressum; & affectus incurrant, magis magisque *rheumaticos*, *cephalalgico-hemicranicos*, *vertiginosos*, *anginodes*, *erysipelaceos*, *spastico-asthmaticos*, *arthritodes*, *hypochondriaco-hystericos*, *nephriticos* &c. Cum enim ante hac, occasione reliquæ menstruæ *evacuationis*, etiam *plethorica* abundantia sanguinis in genere, *ventilationem* quasi *consuetudinalem* assecuta esset, deficiente hâc in posterum, subnascuntur sensim sensimque aliæ tales *regurgitationes* & *decubitus*, uti vulgò vocantur: planè ad *paradigma* gemini talis eventûs, si diu adsueta frequentior *scarificatio* temerè rude donetur: evidentiore verò, & passim magis *fonticò*, æque *parallelò* exemplò, si *hemorrhoides*, in primis *statae* & *frequentiores*, jam *adsuesactæ*, in posterum *supprimantur*: imò ipsa adhuc procedere merentia *catamenia*, in primis importunâ aliquâ, *medium fluxum* obruente, *patheticâ* occasione, suppressâ, pertinaciter emanent.

§. LIV.

Absit invidia, aut odiosa interpretatio, & dirigatur potiùs solers consideratio, ad *historicam* veritatem facti ipsius, passim deprehendendam; Quid quæso impetratur, ante dictâ methodò neglectâ, & aliâ in acunque in hujus locum adhibitâ, adversùs hujusmodi affectus, quàm *unum è duobus*; nempe vel *primò*, ut ad summum *paroxysmis* solis aliquid levaminis impetretur; vel planè, *secundò*, malum in *deterius*, feriùs ocys, ruat, aut certè progrediatur. *Recursum* autem ipsorum paroxysmorum, non solum nullatenùs *cicurrari* possit; sed etiam magis magisque *adsuefiat*, imò *insolescat*: remedia, quæ prioribus temporibus *paroxysmo* aliquid levaminis attulerant, in posterum *aspernetur*: & si, in *insolescenti* affectui, *fortioribus* etiam remediis occurrere necessarium censeatur, & hoc aliquantò importuniùs fiat, pa-

roxysmi potius *exasperentur*: aut à mitioribus *schematibus*, *metaschematismus* fiat (vid. Diff. de *Metaschematismis morborum*) in longè graviora: & tandem *œdemata*, *hectica*, *catarrhi suffocativi*, *hemiplexia* aut *apoplexia*, supremam manum imponant. Quales profectò observationes, nullâ *Diogenianâ lucernâ* vestigandæ, si non cautiùs luculentiorém *theoriam* quærere, & hujus *pragmaticam* conspirationem cum felici *Therapiâ* comparare, persuadere fatis possunt, plura de his rebus & prolixiora fermocinari, nihil aliud fuerit, quàm scientem atque volentem tempus perdere,

§. LV.

Unde quidem plura in medium proferre, meritò superfedemus; illud unum solùm adhuc adjicientes, cum passim insignis observetur expectatio, ut, cum jurata methodus qualiacunque Medica consilia proferentium, post adumbratam *methodum Therapeutica*m, etiam *remedia* ipsa, scopis illis paria, & magnò passim numerò, præscribere jubeat, nos etiam nominemus ipsa *remedia*, per quæ scopis nostris satisfieri posse, compertum habeamus: propterea hoc ipsum etiam, brevibus tamen, edisserere atque declarare, non deficere voluerimus. *Primo* itaque scopo, nempe *materiali* fundamento, non aliter justum remedium suppeditari posse arbitramur, quàm 1) è fonte *Chirurgicò*, per *sanguinis missionem*; *medicè* tamen, nempe *rationabiliter*, gubernandò, & in justos *limites* coercendò: ut nimirum administretur, *preservationi* potius, quàm *directæ curationi*, aptò *tempore*: conveniente *locò*, ubi secundùm *ætatem*, atque *sexum*, & *desivatorium* potius, quàm *revulsorium* scopum, prudentem usum *Venæ sectionis in pede*, præferimus, (sub justis circumstantiis,) illi, quæ in *brachiis* exercenda venit: tum etiam *quantitate* congruâ, non quidem *prodigâ*, neque tamen etiam nimis *exiguâ*: *repetitione* verò, non frequentiore, quàm *bis* per annum, *Vere* potius & *Autumno*, quàm *estate* aut *hyeme*.) è fonte *diæticò*, *motibus corporis voluntariis*; nempe totâ vitæ ratione, à

desidiò, quantum fieri potest, alieniore: *edacitatis* justò moderamine: *potius* autem, diluente magis, quàm ullà alià efficaciam, conspicui, largiore usu: *frigoris & caloris*, nec non debitarum *excretionum* (per *desidiàm* aut neglectum, in sensibiliore constitutione facillimè turbandarum,) diligente observatione: *animi* verò *pathematum*, quanta usquam obtineri potest, temperantiã. Abstinentò tamen curiosè, ab omni nimis *coactà dietã*; quæ nihil certius efficit, quàm maximam *sensibilitatem*, ad levissimas posthac alterationes.

§. LVI.

Secundo scopo, nempe *moderamini intentionis generalioris*, ad *tentandas ventilationes*; & propterea suscipiendas *specialiores jam, ac determinatas, congestiones*; opponimus remedia, *turgesfactiones* sanguinis, placidè quidem, sed tamen satis potenter, sedantia. Quæ, qualia quilibet, secundùm rationem aut experientiam suam, effectui tali idonea noverit, illis per nos utatur: nos Nitro, plus hîc tribuendum esse scimus, & experti sumus, quàm ullis aliis, quantumlibet speciosis, artificiis. Dum simul etiam satisfacit *cicurationi*, & securæ *eliminationi*, aliorum materialium *stimulorum*; qui vel *turgescentiam*, vel subtilissimum *irritationum* sensum promovendò, *intentioni elisorie* occasionem præbere possunt.

§. LVII.

Propioribus jam *formalibus* rationibus atque scopis, à quibus tam *sensus* exquisitiores, quàm *motus* impatientiores, illi *dolorosi*, hi *spastici*, oriuntur; *sedativis* propioribus aut *potentioribus* occurrere, si antedicta dextrè ad effectum deducantur, rarissimè verè *opus* esse, & *ratio* dictat, & *experientia* firmat: quapropter etiam illis quàm minimum tribuimus, nedum indulgemus. Si quid tamen necessarium videatur, *Opium* odimus; turbulentis *impressionibus*, tanquam *fascinò* quòdam, *motus* afficiens: & si *intempestivè* & *præposterè*

sterè usurpetur, nihil certius, quàm *degenerem pertinaciam*, & meliorum quoque remediorum atque methodorum, quasi *stupidam & fastidiosam insensibilitatem*, introducens: in primis in reliquâ *sensibiliore* indole: & in hâc effectus exferens, similes *animi pathematibus, meticulosis, terrificis, præfractè fastidiosis, & phantasticè desperabundis*, quâlibet levi occasione denuò emicantibus, & quantacunque rationabili remonstrazione, vix, aut planè non, edomandis. Acquiescimus autem in *Cinnabari*; &, quantum hucusque, assiduâ æque atque vigili, experientiâ deprehendere licuit, innoxia de reliquò, satis tamen conspicuâ, *anodynâ* efficaciam *Cascarilla*, seu ut vulgò vocant *Schacarilla*.

§. LVIII.

Coeterùm autem, *generalioribus*, de bitarum *excretionum* justis successibus, placidissimè sublevandis; & præsertim *flatulentie* demulcendæ, operam aliquam dicamus: alienissimi interim ab *indefinente, multorum*, nedum *variorum* (certò incertitudinis documentò) remediorum, usu atque suasu.

§. LIX.

Hâc certè methodò, in casibus, nondum in *pertinacem consuetudinem*, simul *protervæ promittitudinis* ad *levissimas* causas, architectum: aut *variâ turbationem* atque *fluctuationem*, per *heteroclitas* methodos atque pharmacias, devolutorum talium affectuum: & *animi patheticò* habitu non præter modum malè moratò, quin potius *fiduciam* aliquâ ad majorem tranquillitatem revocatò, præside atque adfite Divinâ Benedictione, luculentis exemplis, ego Præses, aliquoties effectum vidi, & cum ægris talibus gavisus sum, quod antea neque factum, nec solùm speratum erat; omnibus circumstantiis potius in deterius, quàm vel minimâ in melius, sub alienâ tractatione prolapsis: adeoque cum *rectâ ratione, effectivam* etiam artem expertus, ejus.

ejusque propterea, sub *naturalis*, ab ipsâ *Divinâ Sapientiâ* institutæ, *veritatis* testimoniô, causam, jure meritoque orans atque agens.

Cui scopo, ut etiam præsens hæc tractatio, quam ita factis absolutam datam esse confidimus, aliquid conferat, juxta cum venerabundâ, pro præstitô nobis auxiliô, gratiarum professione, *Divinam Benedictionem* humillimè exoramus.

S. D. G.

